



Clerus Sæcularis Et Regularis

Seu Decretalium Gregorij IX. Pont. Max. Liber III ; Brevi Methodo ad dissentium utilitatem expositus, In quo præcipuæ circa Materiam hujus Libri tertij, quæ tum in Theoria, tum in Praxi occurunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & hororum solutionibus

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

VD18 13510800-001

§. VIII. De Læsione in Contractu Emptionis Venditionis, & hujus remedijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75021](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75021)

trinseca simul posita sint; vel contrà talia, ut per modum partis, aut complementi, vel necessariae cuiusdam sequelæ, & effectus conjugantur, & unum quodammodo per se, in communi saltē sensu, & altimatione efficiant, neque per se singula stent, sed per connexionem unum sit quid alterius, ita, ut uno posito, vel ablato, alterum necessaria quadam consecutione vel physica, vel morali ponni, vel tolli debeat. Priora non censentur hoc ipso vendita, quando res, cui accidunt, est vendita; censentur autem, nisi aliter conventum sit, cum re vendita illa, quæ sunt accessoria posterioris generis: nam hæc propriè accessoria sunt; ac proinde in his solis locum habet generalis, & recepta regula, quam l. cùm aurum 19. §. perveniamus 13. ff. de aur. arg. Ulpianus tradit, ibi Accessio cedit principali.

183 Ex quo sequitur 1. Emptori domis cum domo empta cedere etiam, quæ terræ, parietibus, & muris affixa, instruta, injecta sunt, alios / was Erd = Nied = und Magl = vest ist / si tamen ita terra, vel muris affixa sunt, ut propter ædes sint, & extra illas, ac seorsim utilitatem non afferant; nam cistæ, guttturnia, lecticæ, candelabra, picturae &c. tametsi clavis parieti affixa sint, quia extra ædes, & seorsim utilitatem habent, non cedunt ædibus l. fundi 17. §. reticuli 4. ff. de action. empti. 2. Cum fundo debentur emptori Instrumenta authentica literatum, ad fundum pertinientia, quibus videlicet fundi jura declarantur: & quidem, ut Salycer, in l. 24. c. de fideicommiss. cum alijs

notat, exhiberi illa debent in originali, nisi Venditoris interfit retinere originalia, pura, quia tenetur de periculo evictionis; nam hoc casu sufficeret, si copia describendi fiat. Gloss. in l. Titius 48. ff. de act. empt. Coler. p. 2. decisi. 224. n. 1. Schneidevvin. in § 28. Inst. de action. Rubr. de act. empt. n. 39. P. Friderich tr. de Eempt. Vendit. n. 787. 3. Venditro Castro ad emporem transiunt etiam Jura annexa castro, & ipsum etiam jus Patronatis, ita tamen, ut intuitu istius Juris pretium augeri nequeat; quia alias confertur vendi ipsum Jus patronatis, quod fieri non potest, cum sit spirituale, vel saltē spirituali annexum, ut contra Garc. p. 5. de benef. c. 9. n. 35. communis DD. notat. 4. Qui vendit ovem, vaccam, equam &c, simul etiam vendit foecum editum, si is à lacte nondum depulitus sit: secus, si jam depulitus à lacte sit; tunc enim censetur per se subsistere, & non amplius accessoriè adhærente matri, ut in casu priore. Gomez tom. 2. var. c. 2. à n. 12, cum alijs. 5. Equo vendito, etiam emptoris fit ejusdem paratus, & ornamenti, ut frenum, ephippium, phaleræ, dorsuale stratum &c. Si in ipsa venditione ijs ornatus fuerit, sive eo animo imposita, ut sic ornatus inspiceretur, sive alia ex causa; secus, si jumentum nudum ostensum fuerit l. ediles 38. princ. ff. de edil. Edil. Ratio est, quia in priore casu ornamenta illa sunt accessiones jumenti venditi, non item in posteriore. Plura vide apud P. Friderich à n. 775.

S. VIII.

De Lassione in Contractu Emptionis Venditionis, & hujus Remedij.

S U M M A R I U M.

184. An in rerum Venditione contrahentes se mutuo circumvenire possint? Rationes dubitandi.
185. Resolvitur negativa.
186. Solvuntur Objectiones.
187. An, & quo remedio succurratur Venditori, quando is in Venditione ab Emptore lessus est? Non succurritur lesso infra dimidium.
188. Casus Excepti.
189. Lesso ultra dimidium succurritur.
190. Respondetur ad rationem dubitandi.
191. An etiam Emptori lesso proficiat? Rationes dubitandi.
192. Defenditur affirmativa.
193. Solvuntur objecta.
194. Quando ultra dimidium lessus censeatur Emptor, vel Venditor?

184 Q Uæritur 1. an in rerum venditione contrahentes se mutuo circumvenire valeant? Putarunt DD. aliqui, in hac, si lessio sit infra dimidium justi pretij, licet

195. Deciditur quæstio.
196. Respondetur ad opposita.
197. 198. 199. 200. Casus, quibus non competit hoc remedium.
201. 202. Quomodo lesso ultra dimidium satisfaciendum sit?
203. An casu, quo Emptor ledens eligit rescindere contractum, & rem emptam restituere, etiam sint restituendi fructus? Rationes dubitandi.
204. Deciditur pro negativa.
205. Solvuntur Objectiones.
206. An remedio huic locus sit etiam, in alijs Contractibus?
207. Respondetur affirmativa.
208. Solvuntur opposita.

contrahentes se invicem posse lñdere, induci dñplici textu Juris Civilis, quorum primus est l. in cause 16. §. idem Pomponius 4. ff. de minor, ubi cit. Ictus ait, in pretio emptio-

emptionis, ¶ venditionis naturaliter licere contrabentibus se circumvenire. Alter est l. item si pretio 22. §. quemadmodum 9. ff. locat. ubi Paulus Ictus, Quemadmodum, inquit, in emendo, ¶ vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris enere, quod minoris sit, pluris vendere, ¶ ita invicem se circumscribere, ita in locationibus quoque, ¶ conductionibus Juris est.

185 Verum hæc sententia repugnat. 1. sanæ Theologæ principijs, juxta quæ is, qui alterum in pretio, etiam infra dimidium, graviter læsit, ad restitutionem residui in conscientia indubitate obligatur. 2. Adversatur præceptis Juris Divini, per Apostolum promulgati, durn 1. Thess. c. 4. v. 6. ait: Ne qui supergredietur, ¶ circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindicet Dominus. 3. Est contra instam à natura nostris mentibus legem Charitatis, & Justitiae, exposcentis, ut in contractibus observemus æqualitatem, exhibendo pro re empia justum pretium. Ut adeo meritò S. Aug. l. 13. de Trin. e. 3. dicat, utrumque vitium esse, velle vili emere, & carè vendere, sive pro re minus, quam valet, dare, aut justo valore plus accipere.

186 Neque obstant textus allati in contrarium; quia in his, quæ sunt de peccato vizando, si hoc Jura Civilia approbent, curari non debent. Deinde, ut bene notat Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 2. n. 4. Brunnen, in l. cause cit. n. 11. ¶ duob. seqq. Haun, tom. 4. de Iust. tr. 10. n. 162. Pirh. hic n. 26. Wiel. n. 55. intelligi hi textus possunt, non, quod ejusmodi circumventionem tanquam licitam approbent, sed quodd ad pacem, & tranquillitatem in humana societate facilis conservandam, & avertendam litium multitudinem Venditori, infra dimidium justi pretij læso, non concedant actionem adversus Empotem, à quo sic læsus est: & hoc dicti textus non tam statuunt, quam supponunt, tanquam Jure naturali secundario, h. e. gentium introductum; nam ut Brunnen. Haun, Wiel. l. citt. adverunt, vix ulla, & fortasse nulla gens est, quæ ob quamvis, etiam minimam, læsionem in pretio ad eam emendandam conventionem Judiciale dedit.

187 Queritur 2. an, & quo remedio succurratur Venditori, quando is in Venditione ab Emptore læsus est? Videtur, non mereri aliquod remedium, quo ipsi succurratur; quia, ut sumitur ex l. quisquis 15. C. de rescind. Vendit, rei sua valorem præsumitur scire, ac proinde, si eandem, nulla cogente necessitate, nec vi, aut metu ad hoc coactus minore pretio vendat id, quod justo pretio deest, donare censetur, atqui is, qui rem suam minori, quam valet, pretio vendit animo donandi, quod deest, si ad contractus rescissionem agat, non auditur l. si quis 38. junct. Gloff, marg. ff. de contrab. empt. ergo &c.

Sed distinguendum inter læsiones, an sit infra dimidium justi pretij, an verò ultra dimidium. Si sit infra dimidium justi pretij, Emptor quidem, si graviter læsit Venditorem, ad pretij defectum supplendum sub gravi cogitur, prout habet certa TT. sententia, Venditio tamen valida est, nec propter realæso Venditori aut ad contractus rescissionem, aut ad supplementum defectis pretij actio datur arg. l. in cause 16. §. idem Pomponius 4. ff. de minor. l. item si pretio 22. §. quemadmodum 3. ff. locat. & statuitur l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit. idque merito, ut contractus inter homines majore fiducia celebarentur, & evitaretur frequentia litium, quæ Reip. plurimum noxia esse conseruit.

Dixi, Non dari læso actionem; nam ersi 188 convenire lædenter coram Judice sic læsus nequeat, permissa ramen ipsi est Denuntiatio Evangelica, ut Judex Ecclesiasticus deceptor, vel alium quemvis sic lædenter compellat ad refarcitionem damni, cum Ju-ri naturali, & Divino contrarium si aliquem locupletari cum injurya, vel damno alterius. Imò non desunt casus, in quo Venditori læso infra dimidium etiam competit actio propriæ dicta. Et talis est 1. si læsio proveniat ex fraude, seu dolo; nam eo casu actione doli petere potest, ut vel rescindatur contractus, vel suppleatur defectus pretij l. Julianus 13. §. si venditor 4. & S. idem Julianus 6. ff. de act. empt. Covar. l. 2. var. c. 4. n. 11. Salas tr. de Empt. dub. 27. n. 7. Pal. p. 17. cit. §. 3. n. 2. 2. si pretium Legis taxatum est; quia tunc non queritur de læsione, sed de transgressione Legis, quâ pretium merci statutum est; pertinet autem ad Judicem, ut compellat observari Leges. igitur eo casu læsus petere ab eo satisfactio nem actione instituta poterit. Covar. n. 11. cit. Salas n. 5. Pal. n. 3. 3. ut quidam volunt, si læsio intra dimidium contingat in contractu per Procuratorem celebrato. Sed longè verius est actionem eo casu non dari læso, nisi dolo Procuratoris, vel Emptoris id factum sit; quia nuspian habetur ob læsionem intra dimidium à Procuratore factam contractum rescindi. Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 2. c. 1. num. 15. Fachin. l. 2. contr. c. 29. post princ. Pal. §. 3. cit. n. 5. 4. si læsio infra dimidium contingat in estimatione dotis: quod Pinell. in l. cit. p. 1. c. 1. n. 9. & 18. Fach. c. 29. cit. post. med. Pal. n. 6. deducunt ex l. iure succursum 6. §. fin. ¶ l. si res estimata 12. §. si mulier 1. ff. de Jur. dot. l. si circumscripta 6. ff. solut. matr. quibus Juribus conceditur actio ad reparandam inæqualitatem, neque exigitur, ut læsio sit ultra dimidium justi pretij. 5. si minor 25. annis intra dimidium in contractu deceptus fuerit; nam huic competit restitutio in integrum ratione minoris ætatis tot. tū. ff. de minor. & Cod. de in integr. restit.

Q. 3

Quod-

189 Quodsi læso contigit ultra dimidium justi pretij, i.e. si nec dimidiā partem ejus, quod justum pretium mercis tempore contractū fuit, accepit Venditor, Contractus quidem etiam hoc casu valet, Venditor tamen læsus agere adversus Empōrem potest, ut vel rescissa venditione, rem venditam restituat, vel justi pretij defectūm suppletat, prout ipse Emptor maluerit. Ita statutum habetur c. cūm dilecti §. Et c. cūm causa §. b. sit. l. rem majoris 2. C. de rescind. vendit. Proceditque hoc, cujuscunq; etatis fuerit læsus, &c. in quacunque conditione, locumque habet, eti bona fide utrimque celebrata Emptio Vēnditio fuerit, nec dolus, vel fraus ulla intervenerit: quo distinguitur læsio ultra dimidium facta ab ea, qua facta est infra dimidium, ex qua tantum actio datur in casibus n. p&c. exceptis, in alijs negatur.

Dixi, Prout ipse Emptor maluerit; nam electio hoc casu est Emptoris, utrum malit rescindi contractū, & recipere pretium, an verò contractū valere, & addere supplementum, ut ex textibus citt. constat, & cum alijs recte observat Pirk. n. 22. §. 23. hic. Ratio est, quia Emptor, qui decepit solvendo minus ultra dimidium, quam res valebat, est debitor; electio autem in alternativis est debitoris, & sufficit alterutrum adimplere, ut dicitur Reg. 70. in 6. sicut è converso electio est Venditoris, si deceptus sit empor l. rem majoris cit. junct. Gloss. V. elegere.

190 Neque obstat ratio dubitandi n. 187. allata; nam præsumptioni, qua est de scientia valoris rei suæ, prævalet alia præsumptione, quā nemo censetur facile jaçtere rem suam c. cūm de indebito 25. ff. de probat. igitur nisi animus donandi excessum pretij aut expressis indicetur verbis, aut ex circumstantijs colligatur v. g. quod Emptor consanguineus, vel amicus singularis Venditoris sit, animus donandi præsumetur abesse in eo, qui rem suam à se vendi afferit: & hinc si minore pretio vendat, censebitur magis pretium rei sic vendita ignorasse. Abb. in c. cūm causa cit. n. 6. Covar. l. 2. var. c. 4. n. 2. Menoch. l. 6. præsumpt. 23. n. 36. Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 6. Pirk. hic n. 24. Wiest. n. 59.

191 Queritur 3. an etiam Emptori, si à Venditore læsus sit ultra dimidium justi pretij, hoc remedium Jura concedant? Ratio dubitandi est 1. quia textus n. 189. citt. tantum loquuntur de læsis Venditoribus. 2. Jure veteri inspecto ne quidem Venditori decepto succurrendum esset, igitur cūm Jura antiqua per novum Jus tantum correcta fuerint quoad Venditorem, id extendendum non erit ad Emptorem. 3. non est eadem ratio subveniendi Emptori, qui plerumque ultro ad emendum accedit, qua Venditori, quem plerumque rei familiaris necessitas cogit pretio minore vendere. 4. nihil cau-

se est, cur emptoris misereamur, cūm hujus stultitia imputandum sit, quod carius emerit l. alienus 61. ff. ad Leg. Falcid.

Sed adhuc dicendum, etiam empo- 29 rem tali casu debere restitui, ita, ut velre- scendens sit contractus, vel justum pre- tium supplendum pro arbitrio Venditoris, qui læsus est. Abb. in c. cūm dilecti §. b. tit. num. 2. Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. p. 1. c. 2. §. 3. Gutier. l. 2. præt. q. 123. n. 2. Molin. tr. 2. D. 349. num. 1. Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 6. ¶ at verò circa fin. Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 4. n. 2. P. Pirk. n. 25. hic, Zol. n. 16. P. Engl. n. 15. P. König n. 44. P. Wiest. n. 60. ibid. P. Friderich. tr. de Empt. n. 905. & colligitur arg. c. cūm dilecti, c. cūm causa, & l. rem majoris cit. q. amvis enim in his textibus mentio tantum hat de Venditoribus læsis, tamen æquitas, & æqualitas, quæ inter contrahentes servari debet, merito postulat, ut etiam Emptori ultra dimidium læso per idem remedium succurratur, ne contractus ex una parte claudicet.

Atque hinc cadit prima ratio dubitan di in contrarium: nam Venditor, & Emptor sunt correlativa; in correlatis autem, quod de uno disponitur, etiam extendi debet ad alterum l. fin. C. de indit. Viduit. saltem cūm eadem est utriusque ratio; est autem eadem in Emptore, que in Venditore ultra dimidium læso, in modo major in illo, quam in isto, cūm ille rem suam vendat, iste emat rem alienam; veri autem valoris rei alienæ, quam sue tolerabilior ignorantia est arg. l. quisquis cit. ibi, Familiaris rei scire vires, vel merita, atque emolumenta ante debuerat. Ad 2. longè probabilius est, quod etiam Jure antiquo subventum fuerit Venditori, ut bene ostendit Harpprecht in §. fin. Inst. b. tit. n. 90. & seq. idque ipsa æquitas naturalis postulabat, ut indicant Imp. l. rem majoris cit. Ad 3. innumeri vendunt, nulla co- gente necessitate domestica, sed utilitatis solū, & quæstus causā: contrà non pauci emunt, ad id necessitate industi. Ad 4. id longè majori jure de Venditore dici potest, cum ut paulò ante dictum est, prouis sit ignorari valorem rei alienæ, quam propriæ.

Queritur 4. quando ultra dimidum 194 læsus censeatur Emptor, vel Venditor? Omnes convenient, læsionem ultra dimidium ex parte Venditoris contingere, si rem, qua valet 100. fl. vendat 48. vel minoris, non autem, si 50. vel pluris: & patet ex l. rem majoris cit.

Major est controversia de Emptore, Gloss. in l. rem majoris cit. V. Judicis, ¶ sed quæ est hæc dimidia, Covar. l. 2. var. c. 3. n. 8. Gomez tom. 2. var. c. 2. n. 22. Gutier. præt. l. 2. q. 133. Molin. tr. 2. D. 349. n. 2. Leff. l. 2. c. 21. n. 20. Laym. l. 3. n. 4. c. 17. n. 7. Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 1. n. 3. P. Pirk. hic n. 25. P. Reiffenstuel ibid. a n. 336.

336. P. Friderich tr. de Empt. Vend. n. 914. P. Schmier tr. de pac. & contr. c. 2. n. 234. & seqq. & non pauci alij DD. præsertim TT. & Canonistæ Hispani putant Emptorem tunc ultra dimidium censeri lœsum, & conf. agere ad rescissionem contractus, vel restitutio- nem excessu pretij posse, quando pro re, cuius justum pretium erant floreni ad sum- mun 50. ipse exfolvit plusquam 75. Ratio ipsorum principalis est; quia in contractu reciprocu, qualis etiam Venditio est, ser- vanda æqualitas est, & quidem Arithmetica, seu absoluta inter contrahentes, cum par sit utriusque ratio. hæc autem non ser- varetur, si Venditori, qui pro re valente 100, accepit minus, quam 50. daretur actio ad rescindendam Venditionem, vel excessum pretij petendum, & non daretur hoc bene- ficium Emptori, qui pro re valente tantum 50. expendit plusquam 75. ergo &c. Conf. lœsio Empotoris desumi debet ex pretio, quod Emptor dedit, & lœsio Venditoris ex pretio, quod accipere ipse debuit. igitur sicut Venditor, si accepit minus, quam di- midium justi pretij, quod accipere debuit, lœsus censetur ultra dimidium, ita & Emp- tor, si dedit plus, quam dimidium justi pre- tij pro re empta, quam dare debuit.

195 Sed quamvis hæc sententia æquitati sit maximè consentanea, accurius tamen rem pervestiganti non iniqua videri potest contraria Cujacij l. 16. obf. c. 18. Abb. in c. cum dilecti 3. b. tit. n. 2. Pinell. in l. rem majoris cit. p. 1. l. 2. c. 2. n. 6. Fachin. l. 2. contr. c. 16. Perez C. de rescind. vend. n. 8. Fab. de Error. pragm. decad. 8. error. 7. n. 7. Wading. de Contract. D. 7. dub. 4. §. 4. n. 2. Zœfl. ad ff. de rescind. Vendit. n. 6. Lau- terb. ibid. §. 10. Eckold §. 1. Haun. tom. 4. tr. 10. n. 243. Vall. §. 3. hic n. 1. König ibid. n. 44. & non obscurè favet P. Wiest. hic n. 62. & hoc teste JCti, præsertim Ger- mani, juxta quos, ut Emptor ex titulo lœsionis ultra dimidium possit agere adver- sus Venditorem, requiritur, ut duplo plus solverit, quam solvere debuerat v. g. pro re valente 50. solverit plus, quam 100. Rationes afferunt satis claram, & solidam; quia tunc solum lœso succurritur, quando plus, quam duplum dedit, minus, quam dimidium accepit, hoc autem contingit in Venditore, si mercem valentem 100. ven- dat infra 50. in Emptore autem, si in rem, quæ tantum valet 50. expendat plus, quam 100. ergo &c. Conf. 1. quia lœsionis mag- nitudo in emptione, & venditione desumi debet, facta comparatione dati, & accep- ti, ita, ut infra dimidium duntaxat lœsus censeri debeat, qui ejus, quod dedit, plus, quam medianam partem accepit, ultra dimidium autem, si accepit minus, quam me- dianam partem ejus, quod dedit. igitur si emp- tor accepit rem, cuius summum pretium sunt 50. ut lœsus censetur ultra dimidium,

debuit prò illa expendisse plus, quam 100, quia tunc solum plus dimidio minus accep- pit, quam dedit. Conf. 2. ut venditor ultra dimidium censeatur lœsus, debuit res ab ipso vendita duplo plus valere, quam pre- tum acceptum, quod fit, si pro re valente 100. accepit minus, quam 50. igitur etiam ut empor lœsus existimet ultra dimidium, necessarium erit, ut pretium duplo excedat valorem rei empta, quod non fit, nisi pro re valente solum 50. expenderit plus, quam 100. nam res ipsa, quam accepit, supplet 50.

Ad rationem adverse sententie: eti 196

Emptor plus lœdi possit materialiter, non tamen plus lœdi potest formaliter, uterque enim tunc lœsus censetur ultra dimidium, quando dati minus, quam dimidium accep- pit, ut cum Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 6. obseruat Haun. n. 243. cit. ¶. ut autem. Ne- que obstat, quod alias Justitia commutativa exigat, ut inter contrahentes servetur æqua- litas etiam materialis; nam hoc est solum in ordine ad obligationem conscientiae, non verò ad actionem dandam in foro exter- no, ubi Jura permittentia rescissionem lœsus ultra dimidium, & negantia lœsis infra dimidium non ita spectarunt privatorum con- trahentium substantiam, quam bonum Reip. à cuius Curijs nimiam litium frequentiam arcere præcipue intenderunt, qui finis per contrariam sententiam minus obtinetur, cum facilis quis inducatur, ut rem valen- tem 50. quis emat florenis plus, quam 75. quam ut valentem 100. vendat infra 50. Ad Conf. patet ex dictis; nam lœsio desumi de- bet non tantum ex dato, sed ex hoc com- parato cum accepto.

Queritur 5. quibus casibus remedium 197
hoc actionis ad rescissionem contractus, vel supplementum pretij refundendum ultra di- midium lœsis non concedatur? ¶. quatuor potissimum enumerari casus. I. quan- do beneficio huic quis renuntiavit non tan- tum generaliter, sed specialiter, & expre- sè, præsertim accedente Juramento. Co- var. l. 2. var. c. 4. n. 1. Molin. tr. 2. D. 349. n. 16. ¶ 17. Gutier. de Juram. p. 1. c. 26. n. 2. Pirth. hic n. 28. Engl. n. 16. König n. 44. ¶. verum. Wiest. n. 65. Friderich n. 952. & colligitur ex l. queritur 14. §. si ven- ditor 9. ff. de Aedit. Edit. ubi actiones suas remittentibus regresus ad illas exprese ne- gatur. Ratio est, quia Juri, & favori pro fe principaliter introducto quilibet renun- tiare potest c. si de terra 6. de privil. ¶ l. si quis 29. C. de pac. & servandum est omne Ju- ramentum, quod in salutis dispendium, & alterius detrimentum non redundat c. cum contingat 28. de Jurejur. & c. quamvis 2. de pac. in 6. Excipitur, si lœsio sit gravissima, seu valde enormis; ea enim sub renun- tiatione, etiam speciali, & jurata, non com- prehenditur, cum dolus eidem causam de- disse

differe censeatur. Covar. n. 5. Gutier n. 7.
P. Friderich n. 935. P. Pirh. P. Wiest. l. citt.

298 2. Si defectum Venditor, vel excessum pretij Emptor donet arg. l. in re manda-

ta 21. C. mandat. estque hoc omnino certum. Sed dubium est, quantum censeatur donatum, quando contrahens alteri contrahenti dicit, *Id, quod res pluris valet, domo?* Existimant aliqui donatum censeri etiam defectum pretij plusquam dimidij; sed alij verius censem donatum his verbis duntaxat defectum pretij modicum, & qui dimidium non excedat; quia dictione *Quod pluris* denotatur solum modica, non quacunque quantitas, ut dicitur l. *hac adjectio* 191. ff. de V. S. Hinc ut etiam dimidij pretij defectus à Venditore, & ejus excessus ab Emptore censeatur donatus, necessarium erit, ut donans habuerit justi pretij notitiam, nulla vi metu, aut necessitate ad hoc sit coactus, & donati quantitatem vel specificè, vel saltem generaliter expresserit his verbis, *Quantusunque ejus defectus fit* Sc. vel alijs similibus. Abb. in c. 6. b. tit. n. 5. P. Wiest. num. 66. & hoc teste comm.

199 3. Si res empta casu fortuito perempta sit. Covar. l. 2. var. c. 4. n. 14. Gomez

l. 2. var. c. 2. n. 22. Pinell. p. 2. c. 1. n. 36.

Molin. tr. 2. D. 349. n. 6. Fachin. l. 2. contr.

c. 18. P. Pirh. hic n. 28. P. Wiest. n. 67.

P. Friderich n. 958. & seqq. Colligitur ex

l. si res 12. §. si mulier 1. ff. de jur. dot. ubi

dicitur mulierem non posse agere contra

Maritum in causa dotis, ut justa sibi aestima-

tio concedatur, si res perempta fuerit. igitur à fortiori non poterit contra Emptorem

agere Venditor; hujus enim causa non est

tam favorabilis, quam est causa dotis. Ra-

tio est, quia re perempta per casum fortui-

tu, cessat optio rescindendi contractum,

vel solvendi defectum pretij. igitur etiam

cessat actio, quæ ex l. rem majoris 2. C. de

rescind. vendit. oritur, & potius sibi laesio im-

putare debet, quod laudentem non conve-

nir, cum re adhuc extante, locus erat actioni.

200 4. Non potest hoc remedium rescis-

sionis intentari contra tertium rei possesso-

rem, quando is acquisivit eam titulo onero-

so, ac justo pretio, & bona fide. Ita post

Bart. ac Bald. in l. rem majoris cit. communis

DD. apud Covar. l. 2. var. c. 3. n. 10. concl.

2. Ratio patet; quia nec ratione laesio-

nis conveniri talis Emptor potest, cum ipse non

laeserit; nec ratione rei acceptæ, quippe

quam justo titulo comparavit, suamque fe-

cit. Aliud dicendum, si tertius illam ac-

quisivit titulo lucrativo, vel sciens, quod

infra dimidium justi pretij empta fuerit; tunc

enim adversus tertium possessorum agi po-

test in defectum primi Emptoris, ut vel rem

emptam restituat, vel defectum pretij sup-

pleat. Covar. c. 3. cit. n. 10. Molin. D. 349.

cit. n. 4. & 5. P. Pirh. hic n. 28. in fin. P.

Friderich n. 965. & duob. seqq.

Queritur 6. quomodo laeso ultra di-²⁰¹
midium satisfaciendum sit? & tria sunt
attendenda.

Primum est, quod cum à laudente sa-
tisfactio, & supplementum pretij petitur,
ut conveniri quoad hoc Emptor possit à
Venditore, debeat laesio contigisse ultra di-
midium justi pretij infimi; ut vero contra
ab Emptore conveniri Venditor possit, de-
beat considerari pretium summum. Covar.
l. 2. var. c. 3. n. 3. Pal. tr. 32. D. 5. p. 17.
§. 1. n. 5. cum Molin. Pirh. l. citt. Et hinc
si pretium rei vendita medium sint 100. fl.
infimum 95. non censem donatum ultra dimidium
laesius Venditor, qui pro ea accepit 49. Si-
milariter neque Emptor censem laesius ultra
dimidium, si pro re, cuius pretium medium
sunt 50. sumnum 55. dedit 101. quia secun-
dum fundamenta n. 195. posita debet
duplo plus dedisse, quam sit pretium rei
sumnum.

2. In hac restitutione attendi debet²⁰²
justum pretium rei venditæ, quod illa habuit
tempore, quo celebratus fuit contractus
quanti sc. res eo tempore valuit, & non
quanti postea valuit c. cim causa 6. b. tit. ibi
Venditionis tempore, & l. si voluntate 8. C. de
rescind. vendit. Molin. tr. 2. D. 349. num. 3.
Pirh. hic n. 27. & alijs communiter.

3. Non sufficit, si Emptor, qui laesit,
solum velit restituere, quantum defuit me-
diataj juli pretij, e. g. si postquam emit
40. fl. rem, quæ valer 100 velit adjicere
10. ad excludendam laesionem ultra dimi-
dium; sed opus est, ut integrum pretium
reddat, nempe in casu dato 60 vel ut rem
emptam restituat, ut colligitur ex c. cim
dilecti 3. & c. cim causa 6. b. tit. & l. rem
majoris 2. ibi, Quod deest justo pretio. C. de
rescind. vendit. Et idem dicendum est de
Venditore. Canif. in c. cim dilecti cit. n. 10.
Gomez tom. 2. var. c. 2. n. 22. Pal. tr. 32.
D. 5. p. 17. §. 13. n. 1. P. Pirh. l. cit. P.
Friderich n. 970.

Dubium est, utrum si Emptor laedens²⁰³
eligit rescindere contractum, & rem emp-
tam restituere, debeat illam simul cum fructibus
perceptis restituere? Certum est,
ad hoc teneri Emptorem male fidei; ino-
hic non ad fructus tantum restituendos ob-
ligatur, sed etiam ad id, quod Venditoris
interest, deceptum non esse.

De Emptore bonæ fidei gravis est
controversia apud DD. nam eum adfructus
restituendos obligant Salyct. in l. 2. C. de
rescind. vendit. n. 5. Covar. l. 2. var. c. 3. n.
9. Menchaca l. 3. contr. usuf. c. 71. n. 2. &
seqq. Greg. Lop. l. 56. tit. 5. p. 5. & alijs
apud Pal. §. 13. cit. n. 2. Fundantur l.
l. cim proposas 1. C. si major. fact. alien. ubi
dicitur in arbitrio Emptoris laidentis esse, an
velit possessionem restituere cum fructibus.
2. l. cim autem 23. S. fin. ff. de Adil. Edil.
l. Imperator 16. ff. de in diem addit. l. fundo
5. ff.

3. ff. de Leg. commiss. quibus, & alijs legibus dicitur res restituenda cum fructibus, quando contractus rescinditur ex causa, quæ inerat tempore contractus. sed cùm rescinditur Venditio ob lassionem ultra dimidium, rescinditur ex causa, quæ tempore Contractus inerat, ergo &c. 3. l. videamus 19. ff. de Uſur. ubi patronus revocavit alienata à liberto in fraudem legitima sibi debitæ, & restitutur res unà cum fructibus, atqui patronus Venditori æquiparatur. 4. si minor per contractum lassus sit ultra dimidium, restituitur cum fructibus l. patri 27. §. si pecuniam 1. & item ex diverso ff. de minor.

204 Sed probabilius hoc casu non est obligatio restituendi fructus interim perceptos, ut cum Ant. Burr. Imol. Burgens. Sylv. docent Pinell. p. 2. c. 4. n. 1. Gomez sibi contrarius tom. 2. var. c. 2. n. 24. &c. 4. n. 21. Fachin. l. 2. contr. c. 24. Gutier l. 2. qq. præc. q. 134. Molin. tr. 2. D. 349. n. 12. Less. l. 2. c. 21. n. 122. Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 8. Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 13. n. 3. Pirh. hic n. 27. not. 4. Engl. n. 17. P. Friedrich n. 971. Colligitur ex eis ad nostram 1. de reb. Eccl. non alien. ubi rem Ecclesia alienatam infra dimidium justi pretij jussus est emptor restituere, sed fructus eidem relicti sunt. Ratio est, quia Venditio talis, & Emptio, etiæ infirma sit, validâ tamen est; conf. per traditionem transfert dominium rei empræ in emptorem, qui proinde fructus illius percipit titulum dominij, tanquam ex re sua. Conf. nam tali casu periculum rei venditæ ad Emptorem pertinet, ergo & comoda, seu fructus, præfertim cùm etiam Venditor fruatur commodo pretij numerati-

205 Neque obstant Argumenta sententia opposita. Ad 1. ibi duplex intervenit vi- tium, quorum neutrum sufficenter per ratificationem purgatum est: unum, quod contractus celebratus, & res minoris ven- dita fuerit absque Decreto Judicis; alterum, quod minor eo contractu lassus fuerit ultra dimidium. Jam per ratificationem minoris, postquam major factus est, solum fuit sublatum beneficium restitutionis in integ- rum minoribus competens, quo determinate obligatus fuisset emptor rem emptam restituere unà cum fructibus, non verò fuit sublatum remedium ex l. rem majoris cit. & clausula generali si qua alia &c. quia ratifica- tio facta est ab ignaro, quod fuerit invalida alienatio: & hinc in arbitrio Empitoris ponitur, an velit dare supplementum pretij, an verò rem unà cùm fructibus restituere. Ad 2. textus illi vel loquuntur de rescissione contractus ex defectu conditionis resoluti- vœ, ubi fingitur res nunquam fuisse empta; vel de rescissione ex actione redhibitoria, cuius natura est, ut omnia in pristinum sta- tum reducantur. Ad 3. negatur paritas; quia alienatio facta à liberto in fraudem patro- ni injusta est ob causam, quæ rei restituen-

dæ inest, cùm bona liberti patrono qualiter obligata, & hypothecata sint: at in iustitia, quæ intervenit in lassione ultra dimidium, solum provenit ex accidenti extrinseco rei restituenda, sc. ex ipsa lassione per contra- tractum. Ad 4. id statutum est specialiter in favorem minorum; conf. ad Venditorem majorensem extendi non debet.

Quæritur 6. an huic remedio locus sit etiam in alijs Contractibus? Distin- guunt aliqui, & in contractibus, ac con- conventionibus lucrativis, & non reciprocis, uti est Depositum, Mandatum, Precarium, Commodatum, Donatio, negant habere locum; nam aliunde infirmandi sunt, ut cum Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 8. n. 1. communi- nis, & certa DD. sententia habet. De cæteris cum nonnullis idipsum negat Hunn. l. 3. resol. tr. 7. q. 12. & sed bis, ex ratione; quia l. rem majoris 2. C. de rescind. Vendit. solum mentio fit de Venditione. Accedit, quia remedium l. cit. proditum contra rationem Juris, quod l. in causa 16. ff. de minor. & l. item 22. ff. locat. circumventionem absque ulla quantitatis determinatione contrahenti- bus permittebat, est introductum, igitur in consequentiam trahi non debet l. quod contra 14. ff. de R. J.

Sed his non obstantibus, dicendum 207 quod remedium hoc concedatur lassis ultra dimidium etiam in alijs contractibus onero- sis, & reciprocis, uti est permutatio, locatio, cambium &c. Ita Abb. in c. cùm causa 6. b. tit. n. 8. Gomez tom. 2. var. c. 2. n. 22. Pinell. p. 1. c. 3. n. 1. &c. seqq. Fachin. l. 2. contr. c. 22. Gutier. l. 2. præc. q. 138. Mo- lin. tr. 2. D. 349. n. 14. Laym. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 8. Pal. tr. 32. D. 5. p. 17. §. 8. n. 1. Haun. tom. 4. de Juſt. tr. 10. & n. 245. Po- Pirh. hic n. 29. P. Wiest. n. 64. & Pal. teſte ferè omnes DD. Neque alia probatione opus est, quam quod sit eadem æquitatis ra- tio. Excipitur contractus transactionis; nam in hac, etiæ quis lassus sit ultra dimidium, frequentior DD. sensus, & specialis ratio suadet, beneficium istud non compe- tere, ut dictum est l. 1. tit. 36. n. 19.

Ad Argumentum sumptum ex l. rem 208 majoris cit. dico non obstat, quod illa, & Rubrica, cui subjicitur, solum agant de Ven- ditione; nam æquitas, ut prius insinuavi, dictat, hoc remedio juvandos ita lassos in quoconque contractu, nisi id speciali Jure excludatur. Deinde retorqueri etiam Ar- gumentum potest; nam l. cit. solum memini immobilium, & quidem tantum vendi- tionis illorum. igitur si argumentum Hunni aliquid probat, in solorum immobilium, non mobilium venditione, non verò emptione lassis beneficium istud conceditur: quod ta- men falsum est, sicut igitur, quæ dicta Legē statuuntur de lassis in venditione immobi- lium, ob paritatem rationis extenduntur etiam ad venditionem, & emptionem mo-

Rr bilium.

bilium, ita ob eandem paritatem de contractu Venditionis, & Emptionis beneficium hoc extendi debet ad laesos in alijs Contractibus reciprocis, & onerosis. Ad Conf. ut

n. 193. ad 2. notavi, remedium istud non
hac primum Lege, sed antiquo jam Jure
proditum est; nam cit. Lege solummodo
firmatum, & apertius declaratum fuit.

§. IX.

Alia quedam Capita, ex quibus resolvi Emptio Venditio potest.

SUMMARIUM.

209. 210. 211. An, & quando resolvi Emptio Venditio mutuo contrahentium consensu possit?
212. 213. 214. An hic consensus debeat esse expressus, vel sufficiat tacitus, & presumptus?
215. An sicut Emptio dissolvi potest quoad totum, ita etiam dissolvi possit quoad partem tantum?
216. An si quid emi purè, & absolute, possim deinde ab eodem sub conditione emere, & posterior emptio priorem tollat?
217. Cujus sint fructus, nati tempore inter initum, & dissolutum contractum medio?
218. Quomodo Emptio Venditio resolvatur ex Edilitio Edicto?
219. Difcimen inter Actionem Redhibitoriam, & estimatoriam.
220. Quid requiratur, ut Emptori detur actio contra Venditorem ob vitium rei emptae?
221. An Actioni Redhibitoriae, & Estimatoriae locus sit, quando res quidem non est virtuosa, sed venditor certas qualitates circa rem venditam asseveravit, que tamen non apparent?
222. Quid Venditor, hoc Edicto conventus teneatur restituere?
223. An preter Actiones Edilitias, hancen explicatas, detur ad redhibendum etiam, Actio Civilis ex empto?
224. Quid sit Jus Retractis?
225. 226. Quotuplex?
227. 228. Quibus id competit?
229. Que res retrahi possint, & quomodo?
230. Que sint obligationes retrahentis?
231. 232. Intra quod tempus liceat retrahere?
233. An Jus retrahendi amittitur renuntiatione?

Praeter lesionem ultra dimidium plura alia adhuc sunt capita, ex quibus Emptio Venditio resolvi potest: & istorum aliqua sunt communia alijs Contractibus, ut Error, Dolus, Metus, de quibus jam alibi dictum est; alia vero huic Contractui peculiaria. Ex his tria hic examinanda restant; nam resolvi Contractus Emptionis Venditionis potest mutuo contrahentium consensu, ex Edilitio Edicto, & per Retractum.

209. Queritur 1. an, & quando resolvi Emptio Venditio mutuo contrahentium consensu possit? 2. interesse, an res adhuc sit integra, an vero non. Si res adhuc est integra, quod sit, quando nec traditio rei, neque solutio pretij inchoata est, indubitate est, Emptionem Venditionem mutuo consensu contrahentium dissolvi posse. Patet ex 1. emptio 3. ff. de rescind. vendit. ubi Paulus, Emptio, & Venditio, inquit, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur, antequam fuerit res secuta. Confiniunt 1. re quidem integra 1. & 1. perfectam 2. C. quand. lic. ab empt. disced. 1. Juris gentium 7. §. adeo 6. & 1. ab emptione 5. ff. de pact. & est commune omnibus obligacionibus, que consensu mutuo contrahuntur; nam ut §. hoc amplius 4. Inst. quib. mod. tollit. oblig. Justinianus ait, ee obligationes, que consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.
210. Si vero res non amplius integra est, sed

ab alterutra parte contractus impletus, distinguendum est inter forum internum, & externum. In foro interno ut obligatio naturalis, qua erat ad standum contractu emptionis, tollatur, sufficit nudum pactum Emptoris, & Venditoris, mutuo consensu volentium contractum esse nullum, propter novam obligationem, qua oritur ex pacto nudo, quo invicem consenserunt, ut a priori contractu recederetur. At ut etiam pro foro externo dissolvatur Contractus, preter consensum mutuum contrahentium in ejus dissolutionem opus est, ut res in antiquum statum reducatur per restitutionem pretij, vel mercis 1. ab emptione 5. §. Aristoteles ff. de Pact. & 1. re quidem 1. ¶. at enim C. quand. lic. ab empt. disced. Hinc etiam si contrahentes nudo consensu dixerint, Volumus contractum nihil valere, non tamen propterea emptori, qui solvit pretium, dabut actio ad illud repetendum, nec venditori exceptio contra emptorem agentem ad implementum contractus, & traditionem mercis: sed perinde est, acsi nihil fuisset actum, nisi omnia retroagantur, & restituatur id, quod ab alterutra parte fuit datum, ut recte adverit Gibalin. 1. 4. de Negot. c. 6. art. 1. n. 3. & patet ex dictis Libr. 1. tit. 35. n. 7. ubi negavi, quod ex pacto nudo actio producatur.

Dixi. Si ab alterutra parte completus contractus sit; nam si ab utraque sit consummatus, per traditionem videlicet mercis a venditore, & solutionem pretij ab Empatore,